

V. Distributiones quotidianæ dividi possunt, v. g. in tres aut quatuor partes pro matutino cum laudibus, in unam partem pro prima, unam pro tertia, duplicem pro missa, unam pro sexta, unam pro nona, et duplicem pro vespers et completorio. Dividi etiam possunt in tres partes, quarum una pro matutino cum laudibus et prima, secunda pro tertia, missa, sexta et nona, tertia pro vespers et completorio (1). Computari quoque possunt pro singulis vicibus, quibus ad ecclesiam acceditur, prout æquum et justum censetur, prout statuta approbata præscribunt, aut consuetudo legitima introduxit.

§ 6. *Quibus debentur distributiones.*

I. Distributiones debentur præsentibus juxta Concilium Tridentinum, quod sess. XXIV, cap. XII de reform. statuit, ut *distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant*; atque juxta cap. *Consuetudinem* in VI. lib. III, tit. III, ubi Bonifacius VIII statuit *ut distributiones ipsæ quotidianæ, canonicis ac aliis beneficiatis, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis affuerint, tribuantur juxta ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabilem* (2).

II. Ut autem præsentibus sint, requiritur, 1° ut in choro suisque locis existant, ita ut non sufficiat, per ecclesiam incedere tempore, quo horæ in choro cantantur (3); 2° ut in habitu canonicali seu choralis assistant; qui enim præter Episcopos in habitu Prælatitio vel in habitu Protonotarii intersunt, distributiones amittunt (4); 3° ut alta voce psallant, ut dictum est cap. XXVI, § 6 (5).

III. Præterea ad præsentiam requiritur assistentia ab initio usque ad finem officii. Non quidem distributionibus continuo privandi sunt, qui ab initio non adsunt, aut non permanent usque ad officium totaliter finitum, nisi ex fundatione, statuto aut consuetudine ita fieri oporteat, sicut præscribitur in erectione episcopatum provincie Mechliniensis 1560 *Ex injuncto* (6) et in primo concilio

(1) Pallottini *Canonici* § VII, n. 167; Acta S. Sedis vol. XII, fol. 357.

(2) Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 172.

(3) S. R. C. 14 Junii 1608, *Fulginate*.

(4) S. R. C. 31 Mart. 1640, *Lauden*; 2 Jul. 1640, *Assisien*; 8 Feb. 1642, *Nucerina Paganorum*; Lucius Ferraris *Distributiones quotidianæ* art. 2, n. 25-27; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. I, fol. 291, n. 97 et 98. Vid. cap. VII, § 14.

(5) Pallottini *Distributiones* n. 307 et seq.

(6) Apud Van Gestel, *Historia Archiepiscopatus Mechl.*, fol. 31.

provinciali Mechliniensi 1570 tit. IV, cap. III. Extra istos casus absentia sive in principio, sive in fine officii moraliter æstimanda est, an scilicet sit notabilis et mulctanda, an autem levis et indulgenda. Alicubi statuta præscribunt, distributionibus privari illos, qui in missa non adsunt ante finem ultimi *Kyrie eleison*, et alibi ante primam orationem (1); et similiter illos, qui accedunt post invitatorium (2), aut officio non intersunt ante finem primi psalmi, sive ante *Gloria Patri* primi psalmi, et usque ad finem permanent, excepta necessitatis causa (3).

Hæc necessitatis causa, adesse censetur, dum finita prima canonicus una cum ministris e choro abscedere debet, missam cum cantu celebraturus, ut juxta rubricas missalis in ritu celebrandi tit. 1, orationi aliquantulum vacet, paramentis sese induat, et post tertiam absque ullo intervallo missa canatur juxta rubricas generales tit. XV. Quod pariter dicendum est, quando, finita missa, statim a choro sexta inchoatur, dum interim celebrans et ministri ad sacristiam redeunt, ad sacras vestes deponendas. Quapropter tum ministri, tum celebrans hæc peragentes, et etiam ad recitationem sextæ et nonæ non redeunt, moraliter choro adesse censentur, ac propterea distributiones participare possunt. Idque eo fortius, quia omnium fere capitulorum consuetudo est, ut tales canonici nedum haud punctentur uti absentes, sed etiam distributiones percipiant veluti præsentibus (4).

Bene hic notandum est, etsi sufficiat ad integram distributionem percipiendam, si quis adsit ante orationem aut ante finem primi psalmi, hoc tamen non sufficere ad plene satisfaciendum obligationi choralis, quæ exigit, ut unusquisque adsit ab initio usque ad finem, sicut obligatio recitandi horas canonicas, quam lex omnibus in majoribus ordinibus constitutis imponit, ordinat et præcipit, ut omnes horæ ab initio usque ad finem debite persolvantur. Quamdiu parvus erit defectus, numquam grave erit delictum; quodcumque autem aderit defectus, semper habebitur delictum. Quod ob brevem absentiam poena non irrogetur, hoc non significat, eandem permissam et licitam esse, sed longiorem non indulgentiam, et etiam puniendam.

(1) Scarfontonus lib. 2, tit. XIV, n. 49, primum Conc. Prov. Mechl. 1570, tit. IV, cap. III.

(2) S. C. C. 27 Sept. 1732, in *Salernitana* apud Pallottini *Canonici* § VII, n. 182.

(3) Conc. prov. Mechl. 1570 loco cit. et 1607, tit. XII, cap. IV; Giraldis *Expositio jur. Pont.* p. 1, sect. 608, fol. 436, *Præterea*; Moneta p. 2, q. III, n. 23.

(4) Acta S. Sedis vol. X, fol. 241 et 245.

IV. Absentes autem distributiones amittunt, nisi adsit causa excusans, ut infra § 8, dicetur, *quavis collusionem aut remissione exclusam, et non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus*, uti statuit Concilium Tridentinum sess. 22, cap. III et sess. 24, cap. XII de reform.; easque perdunt ipso facto, ante ullam iudicis sententiam, ut constat ex Sexti Decretal. lib. III, tit. III. *Consuetudinem § Qui vero*, et aperte colligitur ex Concilio Tridentino loco citato (1); et qui nihilominus illas recipiunt, ad omnium restitutionem tenentur, uti Sexti Decretalium loco citato decernitur.

Excipiendus tamen est casus, si adsit statutum contrarium in limine foundationis adjectum: fundatores enim in limine foundationis, quascumque voluerint conditiones apponere possunt, etiam juri communi contrarias, non obstante Concilio Tridentino, quia juxta S. C. declarationes statuta et ordinationes in limine foundationis appositæ sublatae non sunt (2).

V. Concilium Tridentinum quamvis collusionem et remissionem excludit. Collusio evenit, quando choro adscripti simul conveniunt, se tanquam absentes haud notare, quamvis absentes revera fuerint. Remissio tunc habetur, cum pars una sponte ac sine ulla conventionem distributiones quotidianas alteri parti remittit, et relinquit. Utrumque sacrum Concilium gravissime improbat, atque interdicat. Quamvis autem id severum nimis videatur, ut alteri donare non liceat ea, quæ sibi aliquis comparavit, tamen parendum omnino est, cum hæc jussa indixerit, qui decernendi facultatem habebat (3). Quapropter nec Episcopus, nec capitulum, nec Episcopus et capitulum simul amissas distributiones remittere seu donare possunt, etiamsi omnis absit fraus et conventio, atque omnes canonici sponte consentirent: quia Concilium prohibet omnem condonationem et remissionem; ne aperiatur via fraudibus et collusionibus; neque canonici sub spe similis condonationis officium divinum negligant (4). Potest tamen canonicus distributiones, quas alter amiserat, seu distributionis summam, jam sibi traditam et a

(1) Barbosa de canonicis cap. XXII, n. 1.

(2) S. C. C. 9 Junii 1855, in *Mexicana* apud Pallottini *Canonici* § VII, n. 172-177, et *Distributiones*, n. 291 et seq.

(3) Ita Benedictus XIV, Inst. 107, § VII.

(4) Scarfantonus lib. 2, tit. XI, animadv. 55 et 56; Barbosa de canonicis cap. XXII, n. 20-23; Garcias de benef. p. III, cap. II, n. 431; Lucius Ferraris *Distributiones* art. II, n. 38.

se perceptam, illi alteri donare, cum donet id, quod suum est, et cujus jam est dominus; idque post factum illi alteri, sicut cuicumque donare potest. Cavendum tamen est, ne hac via occasio chorum negligendi detur aliis sperantibus, sibi eandem donationem esse faciendam (1).

VI. Cum igitur distributiones tantum debeantur presentibus, absentes eas tempore legitimæ etiam vacationis percipere nequeunt, ut dictum est cap. XXVIII, § 9, quod adeo verum est, ut nec his tribus mensibus a Concilio Tridentino permissis, valida sit consuetudo, etiam immemorabilis, percipiendi in absentia quotidianas distributiones, ut sæpius censuit S. Congregatio (2).

Item non sustinetur consuetudo, juxta quam canonici, qui intersunt una hebdomada, lucrantur distributiones sequentis hebdomadæ in qua divinis non intersunt; nec etiam statutum sive consuetudo, quod canonici, gaudentes indulto inserendi per alternas hebdomadas, quique amiserunt distributiones non interessendo in diebus hebdomadæ sibi tangentis, illas recuperent interveniendo in diebus in quibus alias non tenerentur (3).

Similiter distributiones percipere non possunt canonici absentes, etiamsi inseriant per substitutum, non obstante contraria consuetudine, quia juxta Concilium Tridentinum omnes divina per se, et non per substitutos tenentur obire officia (4): nisi substitutio fiat prout dictum est cap. XXVII, § 10, n. II.

Pariter obtinens duos canonicatus in diversis ecclesiis citra dispensationem, duplicem habere nequit distributionem, quia utrisque officiis interesse non potest, quod tamen requiritur ad lucrandas distributiones. Quinimo habens dignitatem et canonicatum vel duos canonicatus ex dispensatione in eadem ecclesia, ideo per se duplicem distributionem percipere non potest: nam non potest nisi semel interesse, et nisi unico tempore unicum ecclesiæ servitium præstare, non autem duplex, prout requireretur ad duplicem dis-

(1) Barbosa loco cit. n. 19, et Lucius Ferraris ibidem n. 39 et 40.

(2) Ita Fagnanus in 1 p. I. Decretal. de Const. c. *Cum omnes*, n. 35; S. C. C. 28 Ap. 1860, in *Mathitica*, in *Analectis jur. Pont. sér. 5*, 1861, fol. 475; 25 Julii 1874 in *Asten.* ibidem in *Anal.* 1874, sér. 13, fol. 740; 20 Sept. 1879 in *Actis S. Sedis*, 1880, vol. 13, fol. 219.

(3) S. C. C. 25 Sept. 1700, dub. 4 in *Aventonen.* Scarfantonus lib. 2 tit. XII animadv. 13.

(4) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 82; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 176.

tributionem accipiendam. Duplicato labori et operi duplex merces et stipendium debetur; at in hoc casu unus est labor et unicum opus, ergo duplex merces seu distributio deberi nequit (1). Aliud autem esse potest ex consuetudine aut dispensatione (2).

§ 7. *Quibus debentur distributiones anniversariorum, funerum et functionum accidentalium.*

De distributionibus pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernitur observandum in VI, lib. III, tit. III, c. unic. *Consuetudinem*, ac pro aliis distributionibus, de quibus § 6 actum est. Horum igitur distributionibus præsentis fruuntur, absentes autem carent, nisi detur causa legitima, ut § sequente dicitur. Si tamen causa legitima habeatur, adhuc distinguendum est inter emolumenta, quæ proveniunt ex anniversariis fixis, aliisque functionibus invariabilibus, quæ determinatis anni diebus celebrantur; et inter ea, quæ percipiuntur ex anniversariis seu missis adventitiis, ex associatione cadaverum, exequiis aliisque functionibus accidentalibus.

Absentes ex causa canonica, ob quam quotidianas distributiones lucrantur, etiam percipiunt distributiones seu emolumenta ex anniversariis aliisque functionibus fixis provenientia, exceptis iis, quæ sive ex voluntate testatoris seu benefactoris, sive ex statuto aut consuetudine ecclesiæ debentur tantum actu interessentibus, ut constat ex decretis sequentibus. Cum quæstio mota esset super emolumentis, quæ canonicus percipere deberet ratione indulti ob infirmitatem, ad dubium: an et quibus emolumentis perfrui debeat in casu? S. C. Congregatio (3) respondere censuit: *deberi omnia emolumenta, exceptis iis, quæ sive ex dispositionibus testatorum, sive ex statuto et consuetudine ecclesiæ, debentur tantum actu interessentibus, et amplius.* Item ad dubium: An canonicus tempore infirmitatis participare valeat de omnibus distributionibus tam ordinariis quam extraordinariis, ac quibuscumque aliis emolumentis et obventionibus, prout participant cæteri canonici interessentes in casu, responsum fuit (4): *Affirmative, exceptis iis,*

(1) Moneta p. 2, q. 4.

(2) S. C. C. 25 Ap. 1700 *Arboren.* apud Zamboni *Archipresbyter*, § 1, n. 2; Barbosa de canonicis cap. XXI, n. 18 et 19; Pallottini, *Distributiones* n. 261 et 262.

(3) In *Aquilana* indulti 26 Junii 1745.

(4) 18 Dec. 1745 in *Savonen. Distributionum.*

quæ sive ex voluntate testatoris, sive ex statuto et consuetudine ecclesiæ, debentur tantum actu interessentibus. Item ad dubium (1): An et quæ distributiones ac emolumenta percipere possint canonici curati absentes a choralis servitio, pro exercenda animarum cura in casu? S. C. Congregatio respondit: *Affirmative quoad omnes distributiones et emolumenta, exceptis iis, quatenus non intersint, quæ ex voluntate testatorum debentur tantum actu præsentibus.* Item ad dubium: An et quomodo, et quænam distributiones debeantur Archipresbytero parochi in exercitium officiorum parochialium incumbenti, ita ut locus sit redintegrationi etiam emolumentorum, quæ eidem denegata sunt in casu? S. Congregatio Episc. et Reg. causa in examen revocata die 1 Martii 1861, censuit respondere: *Quoad distributiones et emolumenta provenientia ex anniversariis fixis, affirmative (2).*

Absentes autem ex causa canonica, ob quam distributiones quotidianas percipiunt, carent emolumentis, quæ dantur pro missis adventitiis aliisque dictis functionibus accidentalibus, nisi indultum Pontificium clare se extendat ad hanc distributionum speciem (3): hæc enim emolumenta, quæ a peculiaribus piorum hominum legatis vel largitionibus promanant, non alia mente data censentur, quam ut ab iis solis percipiantur, qui reipsa functionum celebrationi intersunt, et miserentis Dei auxilia implorant. Probatum ex sequentibus decretis: 1° Ad dubium (4): An canonico Stradæ, cui ex causa infirmitatis fuit concessum indultum vacandi a choro aliisque divinis officiis, illud etiam suffragari valeat pro laudemiis, quinquenniis, capitulis, actibusque capitularibus, anniversariis, festivitibus, processionibus, ac pro quibusvis functionibus in ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta cujusvis generis et speciei, communia nuncupata, ac etiam victualia et candelas? Responsum fuit: *affirmative etiam quoad laudemias, exceptis anniversariis aliisque obventionibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a testatoribus dispositum.* 2° (5) Ad dub. III: An canonico jubilato, licet non intervenienti, debeat portio emo-

(1) 20 Nov. 1830 in *Ascutana.*

(2) In Actis S. Sedis vol. I, fol. 288 et 289; 28 Ap. 1860 in *Analectis juris Pont* 5 sér. 1861, fol. 458; Acta S. Sedis vol. VII, fol. 199; vol. XIII, fol. 102.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. X, animadv. 5.

(4) In Romana jurium canonicalium 5 Maji 1703. Lib. decr. 53, pag. 186, in Actis S. Sedis vol. 2, fol. 408.

(5) In *Lucana* resolutiones dubiorum in Actis S. Sedis vol. I, fol. 288.

lumentorum provenientium ex associatione cadaverum, et ex respectivis funeralibus in casu? V. An debeat portio emolumentorum provenientium ab anniversariis incertis, et extraordinariis in casu? VI. An debeat portio emolumentorum provenientium ex missis cantatis adventitiis, quæ occasione festorum ad benefactorum petitionem, celebrantur a capitulo in ecclesiis civitatis et territorii in casu? S. C. Congregatio die 30 Januarii 1858, respondit ad III *negative in omnibus*. Ad V et VI *negative*. 3^o An oratores (injuste expulsi) absentiae tempore lucrentur distributiones obvientes ex mortuorum associationibus, anniversariis, processionibus, missis votivis, aliisque adventitiis functionibus in casu? S. C. Congregatio die 8 Julii 1865 rescripsit: *Affirmative quoad omnes obventiones fixas tantum, in quibus non obstat specialis testatoris vel dantis dispositio* (1).

§ 8. *Legitimæ absentiae causæ, propter quas absentes percipiunt distributiones.*

I. Causæ, quæ absentibus distributiones attribuunt, habentur Sexti Decretalium lib. III, tit. III, de cleric. non resid. cap. unic. *Consuetudinem*, videlicet: *Infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas*. Quibus addendum est indultum Pontificium, an autem consuetudo, infra dicetur.

Not. 1^o Distributiones non deberi canonicis, etsi justa ratione a choro absint, nisi causa a jure ad hunc effectum approbata sit, ut liquet in canonicis, qui absunt studiorum causa, qui existunt in servitio Episcopi, qui licet juste absint, et fructus percipiant, privantur tamen distributionibus (2).

Not. 2. Juxta sanctiones juris canonici et laudabilem S. Congregationis Concilii stylum, nullum beneficiatum a choro absentem ratione muneris sibi commissi, quotidianas distributiones lucrari, ubi pro dicto munere aliquod percipit stipendium, quemadmodum de canonico munus vicarii generalis Episcopi obeunte (3).

(1) In Actis S. Sedis vol. 2, fol. 410.

(2) Bockhn lib. III, tit. IV, n. 44.

(3) S. C. C. 1 Aug. 1739, § 5, *Raven.* Distr. quotid. apud Zamboni tom. IV, *beneficiati*, § IV.

Not. 3. Ut absentes distributiones percipiant, juxta nonnullos (1) requiri, ut in civitate resideant, nisi absentiae causa de jure vel consuetudine ad percipiendas distributiones quotidianas specialiter privilegiata fuerit. Hæc tamen conditio in Concilio Tridentino sess. XXIV cap. XII de reform. non exprimitur, neque præscribitur in c. *Consuetudinem* in VI, de cleric. non resid., neque pro pluribus casibus exigitur, ut ex infra dicendis patebit. Unde S. Alph. de Ligorio (2) notat, quod ille, qui non residet propter tres causas in cap. *Consuetudinem* expressas, non privetur neque fructibus præbendæ, neque distributionibus; et S. C. Congregatio (3) definivit, canonico ægroto, quamvis extra locum cathedralis ecclesiae, in qua canonicatum obtinet, ægrotaverit, præstandas esse totius ejus temporis distributiones.

Not. 4. Ut absentes distributionibus fruantur, requiri juxta plures (4) Ordinarii licentiam juxta Glossam in cap. *Relatum*, v. *Prælatorum* de cler. non resid. Verum, ut respondit Pignatelli (5), quoad licentiam obtinendam ab Episcopo, requisitam in cap. *Relatum* de cleric. non resid. atque ex Concilio Tridentino cap. 1, sess. 23 de reform. dicendum est, eam solum esse necessariam curatis, non autem canonicis non exercentibus curam animarum, sed habentibus legitimam absentiae causam de jure permissam. Certum autem est hanc specialem licentiam non requiri, si statuta capitularia eadem concedant, quia, cum statuta ab Episcopo approbata sint, idem est ac si Episcopus concederet; neque si aliter ferat consuetudo, quia Episcopus eam cognoscere, eique consentire censetur.

II. Prima causa, quæ absentibus distributiones attribuit, est infirmitas. Ecclesia tanquam amantissima parens ægrotantibus plurimum indulget. Neminem cum gravi incommodo aut periculo ad propria munia exequenda compellit, sed infirmum a chori ecclesiaeque servitio abesse permittit, tum quia satis affligitur sua infirmitate, et afflicto non est addenda afflictio; tum quia, si alii

(1) Scarfantonus lib. 2, tit. IX, n. 17; Engel, lib. III, Decretal. tit. IV, n. 30; Bockhn lib. III Decretal. tit. IV, n. 45; Analecta juris Pont. sér. 10, 1869, fol. 1153 *Profecto*.

(2) Theol. mor. lib. 4, n. 130.

(3) 17 Feb. 1624 *Dubium distributionum*, apud Zamboni *Canonici* § III, n. 31.

(4) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 185; Barbosa de canonicis c. XXIV, n. 1, 55 et 56; Acta S. Sedis, vol. 15, fol. 81 ad II.

(5) Consult. 144, n. 4, tom. 1, in Actis S. Sedis vol. XI, fol. 591.